



# **Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten**

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1843**

CCCXCVI. Markgraf Woldemar von Brandenburg verkauft die Schlösser  
und Städte Danzig, Dirschau und Schwertz mit dem Lande Pomerellen  
dem Deutschen Orden, am 24. Juli 1311.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

**CCCXCVI.** Markgraf Wolbemar von Brandenburg verkauft die Schlösser und Städte Danzig, Dirschau und Schwetz mit dem Lande Pomerellen dem Deutschen Orden, am 24. Juli 1311.

In nomine Domini Amen. Quoniam juxta verbum Viri sapientis generatio praeterit et generatio advenit, nihil stabile nihilque permanens est sub sole, sed vanitati atque mutabilitati subjacent uniuersa, Et ne cum labentibus annis rerum magnifice gestarum et perutiliter, pariter labatur et aboleatur memoria, munificentias et libertates, praesertim in pias causas et loca religiosa collatas, scriptura conuenit perpetuari. Nos igitur Waldemarus, dei gratia Brandeburgensis, Lusatie (et de Landsberg) Marchio Tutorque Illustris Joannis Marchionis Brandeburgensis, ad uniuersorum notitiam presentium et futurorum cupimus deuenire, Attendentes quae, quanta et qualia virtutum, Religionis ac Deuotionis beneficia per religiosos Viros Christi Milites Magistrum et fratres ordinis Hospitalis S. Mariae Teutonico Hierosolymitanensium Ecclesiae Christi in suis membris in Prussiae partibus, maxime in plantanda extensione fidei Christianae ac eiusdem plantae defensione, continue impendatur; quemadmodum tam eorum sanguis, qui pro Christi Nomine, signa suae Militiae proprio sanguine rubricantes, ad Dominum emigrarunt, quam eorum vita, qui in negotio fidei adhuc fruentes spiritu sub continua expectatione Martyrii pro aeterno gaudio gladios et tormenta infidelium subire non metuunt, quotidiana facti euidencia satis perluce manifestat. Proinde ad brachium fortitudinis Paganorum conterendum et ob salutem et prosperum atque pacificum statum Christi fidelium Terrae Pomeraniae incolarum de nostrorum Consiliariorum sano consilio et consensu, ad laudem et honorem dei et gloriosae Matris ejus Virginis Mariae et in remissionem nostrorum et Progenitorum nostrorum peccaminum ac etiam ut praefatorum fratrum honorum operum nonnihil participemus, eisdem Christi Militibus, quorum spes verus Deus est, videlicet Magistro et Fratribus ac eorum Ordini partem praedictae Terrae nostrae Pomeraniae, videlicet castra et ciuitates Danczik, Dirschoviam atque Szweycam, nec non omnem terram circum jacentem, que ad dicta castra ab antiquo pertinebat, pro decem millibus Marcarum Brandeburgensium argenti et ponderis, pure, rite ac rationabiliter vendidimus ac vendimus cum Castris, Castellis, Villis, monetis, teloneis, vectigalibus, foris, cum agris cultis et incultis, viis et inuis, pascuis, sylvis, nemoribus, lacubus, paludibus, venationibus, piscationibus, horris mellificiis, cum omni utilitate et fructibus, quae de dicta Terra in praesenti percipi poterint in his, quae super terram humano se repraesentant conspectui, aut qui percipiendi sub terra futuro tempore apparebunt, videlicet in sale, plumbo, ferro, cupro, argento, auro, aut in cuiuslibet generis metallo, quocumque nomine censetur et si in ea quomodolibet poterint reperiri, cum omni jure, dominio, iudicio ac proprietate in perpetuum libere possidendam. Quam nominatam pecuniam Nobis recognoscimus esse solutam integraliter ex toto et ad usus nostros et inclyti Joannis Marchionis Brandeburgensis, cuius tutelam gerimus, esse conuersam. Saepedictam vero terram praefato Magistro et fratribus ac ipsorum Ordini voluntarie resignamus ipsosque ac ipsorum Ordinem in possessionem eiusdem quietam et pacificam inducimus cum omni pleno dominio et integrali libertate et proprietate, renuntiantes nihilominus pro Nobis ac pro Illustri Joanne

Marchione Brandenburgensi superius nominato ac pro nostris suisque Successoribus et Haeredibus legitimis in perpetuum omni actioni, impetitioni, defensionis, exceptioni omnibusque Priuilegiis ac Litteris gratiam et iustitiam continentibus, jam impetratis seu impetrandis, seu jam habitis vel habendis, ac omnibus que in posterum quocunque Jure Canonico vel Ciuili cautelis contra praesens Instrumentum de facto vel de jure possent obijci vel opponi; nihil prorsus juris, domini, utilitatis, Aduocatae, Patronatus vel cuiuslibet alterius jurisdictionis vel potestatis, quocunque nomine possit appellari, Nobis seu Inelyto Joanni Marchioni Brandenburgensi et haeredibus seu Successoribus nostris in omnibus contentis in parte predictae Terrae nostrae sic venditae retinentes; sed omnia et singula cum libertatibus ac pleno jure, proprietate, possessione et dominio in praedictos Magistrum et fratres ac ipsorum Ordinem in perpetuum transferentes. Insuper profitemur et recognoscimus, Nos saepe dictis Magistro et Fratribus a Serenissimo nostro Domino Henrico d. g. Romanorum Rege semper Augusto super huiusmodi nostro Contractu confirmationis litteras impetrasse. Ut autem haec omnia piae donationis nostrae facta permaneant et inuolabilia perpetuo tempore perseuerent, praesens scriptum super his confectum nostri sigilli appensione duximus roborandum, quod etiam dictus Marchio Joannes sui etiam Sigilli patrocinio, cum ad annos aetati legitimae deputatos peruenerit, confirmabit. Testes autem huiusmodi contractus sunt nostri Fideles Domini Henricus de Regenstejn et Ulricus de Lindow Comites, Ludolphus et Halzo de Vedele, Bernardus de Ploszek, Henricus et Fredericus de Helvensleue (Alvensleue?), Droyseco de Chrache (Crochere?), Henricus, Henningus et Henricus de Slegeli (Stegelitz?), Bernardus de Bruk (Buck?) et Henricus de Verbin, Milites, Henricus de Gradzon (Granzoy?) Praepositus, Slateto (Sloteco?) nostrae curiae Prothonotarius et quam plurimi alii, nihilominus fidei testimonio decorati. Actum et datum in curia Bredensi, in Vigilia beati Jacobi Apostoli Anno domini MCCCXI.

Nach Dogiel, Cod. diplomat. Regni Polon. IV, 39. 40. und Dlugoffi histor. Polon. lib. IX, ad annum 1311 edit. Lips. col. 941.

CCCXCVII. Herzog Bratislav von Pommern transsumirt eine Urkunde der Markgrafen Woldemar und Johann von Brandenburg vom 3. October 1311, worin diese dem Kloster Belbuc in Pommern die Kirche in der neuen Stadt Stolp, die Freiheit des Dorfes Staneszin, die Probstei im Lande Stolp und Anderes überlassen, am 25. Mai 1323.

In nomine domini amen. Nos Wartizlaus, Dei gratia Dux Sclauorum, Pomeranie et Cassubie, Vniuersis Christi fidelibus praesens scriptum intuentibus in perpetuum. Noueritis vniuersi, quod litteras illustrium principum Dominorum Woldemari et Johannis, marchionum Brandeborgensium, Lusacie et Landesbergensium, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte sui uitiatas, indultas et concessas Dilectis nobis in